COLICAE ADUMBRATIO
PATHOLOGICA ET THERAPEUTICA

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES RITE SIBI CONCEDANTUR

A. D. XVI. M. JUNII. A. MDCCCXX.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

GUIL. ANTONIUS MARMET

SENDENHORSTENSIS GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS

FRID. BRÜMMER MED. DOC.
GUIL. JOANNE PALM MED. DOCT.
PIELSTICKER MED. STUD.

BEROLINI TYPIS TH. BRÜSCHCKE.

VIRO

ERUDITISSIMO SPECTATISSIMO

FRANCISCO DARUP

VERBI DIVINI MINISTRO REVERENDISSIMO

NEC NON

PATRI

OPTIMO CARISSIMO

BERN. H. MARMET

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

QUA PAR EST REVERENTIA AC PIETATE

D. D. D.

AUCTOR.

§. I.

Descriptio generalis.

Dolor in intestinis neque cum inflammatione, neque cum febre per se connexus, sed a musculorum spasmo inductus, colica nominatur. Dolor autem intestinorum modo vagus est, modo fixus, modo periodicus, modo continuus. Si vagus et periodicus est, plerumque levior esse; si vero continuo perseverat, multo vehementius simul aegrum corripere solet; si eodem loco persistit, neque ambulat, obstructionem plerumque sibi adiungit facileque inflammationem excitat. Dolor probabiliter tum demum oritur, si qua tenuium intestinorum vel crassorum pars spasmo constringitur, quo faeces et flatus retinentur, indeque intestini pars, quae ad ventriculum vergit, praeter modum extenditur. In vehementi malo haec constrictio et extensio extrinsecus quoque per abdominis integumenta nodorum et tumorum adinstar sentiri possunt 1). Plerumque dolor cum

1) Richter's specielle Therapie. B. IV. p. 171.

abdominis obstructione et tumore, interdum vero cum alvi fluxu bilioso tenui, liquido, spumoso iunctus est, ut etiam super aquam natet 1).

Nunc ad prodromos peculiares et symptomata generalia, ante interque colicam adparentia, progredior,

Aeger iam protinus ab initio ciborum appetentia caret, cui accedit plenitudinis sensus in cordis scrobiculo, leves et fugaces cordis palpitationes, nausea, proclivitas ad vomitum motusque inquieti quidam in abdomine, ut borborygmus vehemens et tormina alvi mitia, praecipue post cibum. Alvus adstricta vel tumefacta, urina turbida, saepe etiam dysuria, et alia symptomata gastrica adsunt. Tum dolor abdominis vel mitior vel vehementior adparet, qui pro loco, quem occupavit, dolor iliacus, hypochondriacus, lumbarisque nominatur. Abdomen in regione umbilicali saepe adeo constrictum est, ut alta in hac impressio fiat. Aliis in locis protuberantiam quandam, ac si intestina indurata vel tumefacta essent, animadvertere possumus. Si dolores vehementer saeviunt, pulsus est spasticus et ratione céleritatis frequentiae valde a naturali aberrare solet. Facies interdum rubra atque inflata est, cuius in musculis contractiones leves animadvertuntur, interdum totum corpus tremore universali corripitur. Fere semper testiculi, imprimis in pueris, ad annulum abdominalem attrahuntur,

---

1) Curt Sprengel's Handbuch der Pathologie, B. III. §. 269.

Tum etiam singultus vehemens, tussis convulsiva, sicca cum faucium constrictione spasmodica, vomendi conatu, proclivitate continua ad ructandum iuncta, sequitur. Porro membrum virile erigitur et cremaster adeo tenditur, ut saepe seminis excretiones involuntariae sequantur. Abdomen saepe uti in tympanite extensum, et maxime sensibile est. Aeger nunc spasmis totius corporis laborat, et anima saepe deficit, eodem tempore pulsus usque ad eam parvitatem, quo digito percipi haud amplius potest, desidit. Sub hoc rerum statu alvus non solum nihil reddere, sed etiam omnia, quibus aegri vescuntur, evomi solent. Tandem etiam vomitus stercoraceus accedit, quo faeces alvinae imo humores per clysmata intestinis immissa, evomuntur. Haec virium magna cum prostratione, pulsus extrema parvitate, singultu continenti, spasmis, deliquio animi et frigido viscidoque sudore, iuncta sunt.

§. 2.

Causa proxima.

Haec in spasmo intestinorum vel a materialibus causis vel ab immaterialibus inducto, et intestinorum nervos modo per contactum, modo per consensum vellicante consistit.

§. 3.

Prognosis.

Ob intestinorum magnam sensibilitatem enteritidem omnis colica diuturnior facile inducere potest. Hic transitus timendus, quo magis dolores creverint

atque e vellicantibus in lancinantes tendant, tandem in urentes, convertuntur, sique sensim unum in locum quasi finibus circumscripti, contrahuntur; maxime autem, si abdomen manu tactum valde sensibile valdeque dolorosum observatur et dolor colicus in intestinis tenuibus sedem habet.

§. 4.

Curatio.

In omni colica has fere leges generales observandas esse constat: a, curandum est, ut alvus bene sit aperta, praecipue per emollientia clysmata et aperientia: b, pedes abdomenque necesse est foveantur, quem ad finem pediluvia calida et semicupia itemque fomentationes emollientes in abdomen praescribere licet: c, In omni colica diuturniori vehementiorique sanguis prout res exigit, modo largius, modo parcius venis, sine ullo causarum recpectu, mittendus est: d, causae, quae morbum excitarunt, diligenter perscrutandae sunt. Praesertim vero explorandum est, an forte herniae adsint, quae saepe a medicis per incuriam et negligentiam, vel aegri verecundia, vel parvitatis causa non respiciuntur. e) magna autem opus est cautione in usu medicaminum drasticorum, resinosorum. Caveamus igitur, ne novum inde malum oriatur. Hactenus generalia exposui. Ipsa cuiusque speciei curatio pro singularum causarum diversitate admodum differt. Necesse est primum, ut diversa diversarum colicarum symptomata cognoscamus, priusque ad curationem nos accingamus.

§. 5.

Primum colicae flatutentae diagnosin significabo.

Colica flatutenta. Haec saepe tantum ab inflantibus cibis effervescentibusque, praecipue si intestina simul debilia sunt, neque minus a refrigeriis et animi pathematibus in hominibus irritabilioribus oritur. Magna quoque intestinorum irritabilitas non raro efficitur a medicamentis purgantibus drasticis et resinosis, quibus illa muco necessario privantur. Symptomata eius characteristica haec sunt: Dolor tensivus, mordens, punctorius, modo fixus, modo est vagus ac ventris pressu interdum mitigatur. Plerumque intestini coli iter cum tumultu sequitur, tum etiam non raro ventriculus et pectus per consensum afficitur. Abdomen plerumque paululum inflatum est, sed tamen sine duritie et magna sensibilitate. In vehementi autem malo tensio ventris saepe est tanta ut ne tactum quidem aeger perferre possit. Eodem tempore dysuria cum penis retractione, (sed sine nephralgia, sine urina ignea, sine febre et calore) respirandi difficultate, anxietate, inquietudine extremitatum algore et cardialgia adest. Flatus emissio maximum molestiarum affert levamen. 1) Haec autem raro contingit, aër enim in ventre murmurante et plus minus distento spasmo arcte inclusus est, ut nec ore, nec alvo erumpere possit. Intestina tum quoque aliquando e sua sede propelluntur et hernias

---

1) Barthez, Samml. f. praet. Aerzte. B. XX. p. 150.

alicubi faciunt. Facile redit is dolor et demum saepe tumores inaequales duros, diuque permanentes, in colo ac sinistro inprimis hypochondrio, relinquit. Deliqium animi et icterus in summo gradu accedunt, in quo etiam ilei metus imminet.

§. 6.

Ad curandum colicam flatulentam indicatio est duplex. Altera ad levandos spasmos, altera ad tollendos flatus. Ut primae satagamus, quidpiam ex anodynorum genere porrigere debemus. Ad hunc finem tincturam castorei cum liquore anodyno minerali H. ad guttas XXX. in infus. Chamomill., ol. menth. pip. Caieput, animale Dippelii ad gtt. IV. vel VI. nec non tinct. cort. aurant. duas partes cum spiritus nitri dulcis una parte adhibere possumus. Vehementem dolorem, qui praecipue ventriculum tenet, radicis Columbo scrup. 1 cum opii grano $^1/_4$ vel $^1/_2$ et vini ses. quiuncia mixtus, celeriter levare dicitur. 1). Abdominis frictiones externae lenes ope panni lanei tenuioris calefacti, nec minus ex oleo camphorae vel unguent. volat. adiuncto opio praestantissimae sunt. Alteri indicationi remediis absorbentibus, et aromaticis satisfacimus. Absorbentia enim non raro efficaciora sunt, quam remedia antispasmodica praestantissima. Aqua frigida v. c. magna copia hausta, qua varia gasa inprimis nocifera, uti hydrogenium sulphuratum, hydrogenium phosphoratum absorbentur, morbum haud raro miri-

1) Schneider in Horns Arch. B. II. Hft. 1. p. 123.

fice levat. Cel Richterus, a vi quadam decomponente, hoc deducit, ideoque ad chemicam flatuum compositionem respiciendum esse, censet, unde varia pro diversitate aëris intus contenti, remedia decomponentia adhibenda esse, v. c. natrum carbonicum, acidum muriat. dilutum et cet. magno cum fructu porrigi posse, opinatur. 1) *Neque* minus cel. Gutfeld 2) quo aer absorbetur, puluerem carbonum laudat; quo interdum morbus tollitur, si alia remedia, quibus vulgo utuntur, cum eventu infausto iam adhibita sunt. Ut remedium domesticum Loefflerus 3) usum radicis Cepae incoctae laudat. Optime carminant cucurbitulae sine scarificatu ventri impositae et sal catharticum. Si dolores ad haec non cessant, quidpiam ex carminativorum genere cum anodyno dare expedit; cuiusmodi est essentia carminativa Wedellii cum quarta parte Laudani liquidi remixta 4). Postea, si nempe naturaliter corpus calet, efficacius nihil sumitur, quam oleum Cornu cervi ad gtt. II. III. IV. cum saccharo. Tandem inprimis clysmata eccoprotica ex asa foetida cum aliis anodynis indicata sunt. Si dolores colici sublali sunt ad praecavendum eorum reditum R. A. Vogelius quotidianum infusi florum Chamomillae usum aut ptisanas ex anisi et foeniculi

---

1) Richter l. c. p. 181.
2) in Horn's n. Archiv. B. 6. St. 1. p. 1.
3) Hufeland's Journal. B. XXIV. St. 4. p. 105.
4) A. R. Vogel de cognoscendis et curandis praecipue corporis humani affectibus. p. 357.

seminibus laudat. Atoniae causa intestinorum, quam colica inducit, longe roborantia adhibenda sunt

§. 7.

Alia species magis a spasmo est quam a flatibus, quae colica spasmodica s. nervosa dicitur.

Maxime hystericas et haemorrhoidarios cruciare solet. Haec species semper adparet periodica, et in paroxysmo cum dolore distendente, forante, pressorio lumbos praesertim habente et cum dolore abdominis maximo vehementique singultu systematis sexualis et uropoetici et pulsu vere spasmodico iuncta est. Sub dolore abdomen vehementer contrahitur et alvus prae vehementi contractione ne clysterem quidem recipit. Interdum stricturae intestinorum spasmodicae inprimis intestini coli cum tensione magna supra stricturam et obtusis et gravativis doloribus in scrobiculo cordis, obstructione et vomitu iunctae, inveniuntur. Eodem tempore artus algent, pulsus durus et contractus, anxietas maxima est et anima saepe deficit.

§. 8.

Remediis evacuantibus plane incassum utuntur; drastica et resinosa periculosissima sunt, dum ab iis intestini coli vehementissimae contractiones oriri possint. Antispasmodica autem nervinaque adhibenda sunt et saepe praesentem ferunt opem.

Talem effectum exerit oleum corticum aurantiorum, cuius guttae duodecim sacchari unciae admisceantur. Uti et tinct, castorei cum liquore anodyni H. partibus aequalibus mixta p. d. gtt. XXX. singulis

horis cum infuso Chamomillae proficua est. Ceterum alia etiam antispasmodica super iam dicta porrigi possunt, ut tinct. asae foetidae vel castorei et opii aliquot guttulae. Praecipue clysmata ex asae foetidae una vel duabus drachmis cum vitello ovorum magna cum utilitate adhibentur.

§. 9.

Altera species biliosa audit, cuius causa bilis acris est, in duodeno potissimum copiosius collecta. Est vehemens, frequens, et praecipue periculosa fieri atque in enteritidem facile transire potest, si febris eodem tempore eam commitatur. A ceteris speciebus inprimis sordium primarum viarum symptomatis prodromisque quibusdam, characterem biliosum arguentibus, distinguitur. Haec symptomata biliosa sunt: ciborum appetitus deficiens, sapor amarus, nausea, sensus anxietatis in scrobiculo cordis, vomituritio, lingua ex fusco flava, urina crocea et cet. tum quoque materia biliosa et copiosa per alvum vomitumque excernitur, ac morbus tali modo haud raro tollitur. Interdum autem permanentes etiam obstructiones contumacissimae observantur 1). Dolor vehementissimus est et vellicans et pungens, solamque fere regionem ad dorsum, in dextro plerumque latere, saepe etiam regionem hypochondriacam et epigastricam, occupat, simul vehementem sitim, cephalalgiam frontalam, vertiginem, febriculam, nau-

---

1) Sim's Beobachtung über epidemische Krankheiten.

seam, bilis porraceae aut flavae vomitum ac deiectionem inducit; qua ipsa excretione morbus sensim imminuitur et tandem prorsus finitur.

§. 10.

Curatio. Indicatio prima est, ut spasmi diminuantur, altera, ut bilis acris e primis viis extermineтur. Spasmi anodynis iam dictis levantur. R. A. Vogel 1) dicit, praesentaneam opem ferre mixturam ex aquae destill. menthae unciis tribus, succi citri uncia, salis tartari drachma dimidia et laudani gtt. viginti aut eius loco theriacae scrupulis duobus, cuius pars tertia quavis hora sumitur. Postero die catharticum leniens ex manna, foliis sennae et tamarindorum pulpa exhibendum, idemque etiam iterandum, prout humoris reliquiae vel plures vel pauciores id postulare videntur. Aer fixus et radix Ipecacuanhae in parva dosi repetita efficacissime leniunt. Inprimis Michaelis 2) succum citri adhibendum suadet cum pingui mixtum et aquam florum naphae ad cochlearia nonnulla. Cum hoc remedium bilis acritudinem probabiliter corrigat, utilitatem hoc modo affert. Si omnia tandem remedia incassum sunt adhibita, opium tentandum. 3) Si pertinacius malum, venae sectione opus est ad avertendam intestinorum inflammationem. Interdum, venae sectione facta, vomitus et

---

1) Praelectiones de cognoscendis et curandis praecipuis corporis humani affectibus.

2) Richter's chir. Bibl. St. 1. p. 131.

3) Specielle Therapie v. A. G. Richter. B. IV. p. 183.

evacuatio per alvum sponte sequi visi suut. 1) — Spasmis nunc remotis vel imminutis, si inflammatio iam non adest, emeticum ad materiam nocivam, nigram, bilem corruptam e corpore promovendam porrigi potest, ad hunc finem tartarum emeticum licet praescribere, vel in pulveris forma cum Ipecacuanha vel in aqua vel vino solutum. Vomitus saepe difficillime cietur et ideo caveamus, ne emetica drastica porrigamus et semper pro maiori securitate saltem emetica acidis vegetabilibus (ut Richterus suadet) seu secundum Tissotum Ipecacuanha cum cremore tartari iungamus. Si post vomitum alvus non sponte redditur, remediis alvum purgantibus, sed maioris intestinorum sensibilitatis causa prudenter uti possumus. Hinc remediis, lenioribus laxantibus, eccoproticis, v. c. magnesia cum cremore tartari, etiam oleo Ricini ad cochlear maius, minime vero resinosis drasticisque utimur. Quamobrem catharticum leniens e manna, foliis sennae et tamarindorum pulpa exhibendum. Si a qualicunque cibo, male concocto aut a fructibus horreis pratensibusque probe defaecatis vino mustoque ortum est, unicum tartari emetici granum aqua solutum et deinceps anodynum porrigi debet.

§. 11.

Colica stercoracea.

Ut a bile acri dolores efficiuntur, ita faecum accumulatio, quacunque ex causa orta, iamque diuturnior, colicam stercoraceam excitare potest. Haec in-

1) l. c. Richter.

primis mulieres maiores natu et omnino homines, vitam sedentariam agentes et alimentis siccis fruentes feminas quoque partui proximas et strophio abdomen constringentes vexat. Dum colon et rectum faecibus implentur, initio morbi torquens dolor et sensus tensivus coli iter sequens, cum constrictione musculorum abdominalium et diaphragmatis involuntaria iunctus oritur. Vis medicatrix naturae est contractionum causa et aucti motus peristaltici, quae materiam morbosam submovere conatur. Saepe autem inde motus antiperistalticus oritur, qui ructum acidum putridumque nauseam vomitum et passionem iliacam affert.

Abdomen inflatum, plenum, tensum et durum est. Externe indurationes nodosae tumoresque magni in regione hepatis et lienis et intestinorum sede animadvertuntur. Ob intestinorum expansionem alia abdominis organa, v. g. hepar, lien et vesica fellea in functione naturali valde necessaria turbantur. Tali modo febres biliosae et aliae motiones febriles atque icterus et atrophia mesenterica sequuntur.

§. 12.

Si colica non nimis diu adfuit, periculosa vix habenda est. Remedia convenientia tempestive exhibita, facile hanc speciem sanant. Accumulatae autem faeces prorsus eliminandae sunt, quod optime oleosis peragitur, nunquam autem initio drasticis remediis praepropere utendum est. Si obstructio pertinax diu duravit, remedia saponacea, salina cum oleosis aut decoctum nicotianae aut fumus nicotianae per clysterem in alvum iniiciuntur. Si inflammatio timenda est, vesicantia et hirudines medicinales, ve-

nae sectio quoque et clysmata emollientia ex lacte cum multis oleosis, adhibenda sunt. Eodem modo leniter solventium remediorum, mucilaginosorum internus usus, si enemata cum effectu iam adhibita sunt, salutaris est. Rigimen diaeteticum et corporis motus in quantum vires permittunt, curae finem imponunt.

§. 13.

Quintam speciem verminosam appello, quam vermes, nominatim lumbrici intestinales et taeniae inducunt. Dolor in ea valde mutabilis est, repente veniens et iterum desinens. Interdum est vehementissimus in regione umbilicali, quam in sendentibus plerumque tenet. Aeger nobis dolorem quasi forantem, ventriculum arrodentem, sugentem, rapientem et torquentem describit, eodem tempore queritur de sensu quasi volutationis umbilicum perreptante. Praecipue notatur, quod dolor colicus nocte frequenter ingruit, sed vespertino et matutino tempore in ieiunio, eoque item, quo anthelmintica exhibita fuerunt, vehementius sese movent atque taediosas turbas excitant. Aeger nausea laborat continua, mane siti, sapore fatuo vel et foedo, quem interdum plane deficere sentit, pruritu in naribus cum spiritu male olente, urina est mucosa et alba, color faciei pallidus cum annulis coeruleis circa oculos et faciei pallido ruboreque valde alternante et pupilla dilatata iuncta. Abdomen hic illic inflatum adeoque durum est, ut in eo interdum duri tumores fixi animadvertantur. Saepe etiam nervorum affectiones, v. g. vesania, lipothymia, convulsiones, subsultus tendinum, debilitas artuum, tremores, caecitas, vertigo, catalepsis et cet.

praesto sunt. Vermitio ceterum cum luna prima redire solet.

§. 14.

Curae indicatio prima est, ut dolores spasmodicos repentinos a vermium motibus et eorum adscensu in ventriculum et tunicarum arrosione oriundos, mitigemus. Ad hoc efficiendum, alimentis, quibus vermes libenter vescuntur, v. g. lacte et enematibus lacteis tepidis uti possumus. Porro remedia oleosa, uti oleum amygdalarum, olivarum et oleum Ricini, adhibenda sunt, partim ut intestina contra vermium irritamentum muco obtegantur, partim ut vermes necentur. Etiam anodyna cum emulsionibus et extracto hyoscyami, asa foetida, infusione florum chamomillae, valerianae, et enemata ex his remediis parata, vim salutarem exerutn. Externae volatiles infrictiones oleosae opio iunctae adhibendae sunt. Altera indicatio est, ad recursum mali avertendum, ut vermes remediis notis removeantur eorumque regeneratio impediatur.

§. 15.

Colica sanguinea a sanguine intra intestinorum tunicas congesto, exitatur. Modo haemorrhoides difficiles vel suppressae, modo menstrua incipientia vel retenta, vel suppressa vel cessantia, modo molimina ad abortum, modo suppressio lochiorum et aliae abdominis haemorrhagiae suppressae hanc congestionem inducunt. Haec colica plerumque valde vehemens et periculosa est, dum sanguinis copia praeternaturalis in abdominis vasis accumulatur, qui facile enteritidem inducit. Dolor in ea est vehemens; urens, fixus,

pungens, secans idemque abdomen tam sensibile, ut ne tactum lenissimum quidem aeger perferre possit. Pulsus durus, fortis, celer et plenus, totum corpus rubet et ardet. Plerumque hic dolor singulis mensibus redit, tum fluxus haemorrhoidalis vel menstrualis prodromi cum tendente coxalgia et pungente notialgia iuncti animadvertuntur, qui etiam crura occupant et varios vesicae et ventriculi et uteri spasmos, cephalalgiam quoque, aurium susurrum, vertiginem, deliquium animi et alia symptomata spasmodica excitare consuerunt. Saepe etiam nausea, vomitus, somnus inquietus, tristitia, dolor artuum et lassitudo adsunt. Ante sanguinis eruptionem dolor vehementissimus est, hac facta per vias peculiares sensim sensimque dolores remittunt.

§. 16.

Omnia medicamina irritantia valde augent dolorem, et vehementem febrem haud raro gignunt. Venae sectio levat hanc speciem, sicuti clysmata ex aqua frigida litea aqua frigida lintea madida et ventri applicata, etiam concurbitulae coecae, pulveres lenientes ex cremoris tartari scrupulo integro et florum sulphuris dimidio compositi, secunda quaque hora dati. Postea medicamina antiphlogistica, congestionem mitigantia et sanguinis fluxum derivantia per aliquod tempus adhibenda. Non raro homines, qui membra perdidere, colica plethorica laborant, quam venae sectio optime sanat. 1)

---

1) Richter c. l.

§. 17.

Colicae saturninae diagnosis ex causis nocivis, quibus homines, hoc morbo laborantes, expositi erant partim patet, partim ex symptomatis cognoscitur suis. Qui mineras effodiunt, qui viliores plumbi partes a praestantioribus separant, qui plumbum fundunt, vel ab argento separant, qui lithargyrum rursus in plumbum convertunt, aut saltem ad vendendum ponderant. 1) Eadem affectio hos etiam invadit, qui pigmenta ex plumbo eiusque calcibus praeparant; itemque pictores, qui haec tractant, et figulos, qui vasa saturni vitro obducunt. Producitur etiam a vino lithargyro aut cerussa mangonizato, plus minus acuta aut longa vasis culinae, cupreis, nullo stanno aut impuriore obductis, ab aquis cerussa impraegnatis; a plumbi pulvere adsumto et ab improvido sacchari Saturni ac tincturae antiphtisicae Germanii usu haud raro inducitur.

Diagnosis ex symptomatis et doloribus localibus.

Initio morbi pertinax alvi obstructio, quae sensim sensimque augetur, per longius tempus perdurat, et tandem nullo remedio sanari potest. Signum diagnosticum est, si quidquam excrementorum, stercoris caprini vel ovilli speciem refert. 2) Mox vehementes musculorum contractiones sequuntur, nec non dolores vehementissimi in regione umbilicali

---

1) Illi contra metallurgi (dicit Cel. R. A. Vogel, qui plumbum urunt (Silberbrenner), ab hoc malo immunes manent.

2) Richter c. l.

repente venientes et intermittentes. Umbilicus et anus saepe tam introrsum retrahuntur, ut interdum umbilicus cum columna vertebrali iunctus esse videatur. Dorsi dolores saepe sunt tanti, ut aeger erecto corpore nec possit stare, nec sedere, sed semper cernuus incedere debeat. Venter durus est et tumidus. Sapor dulcis, nauseosus in ore et vomitus mucosus biliosusque superveniunt.

Nec non constrictio faucium ardorque cum febre et pulsu pleno vibrante, artuum doloribus et maculis modo rubris, modo caeruleis maxime in pedibus. Urina pauca meiitur. Aeger ad haec palpitatione cordis, asthmate, vomendi conatu itemque cardialgia, tenesmo, vertigine corripitur, sudoremque fundit frigidum. Plerumque faciei color est pallidus et sordidus. Lingua sicca et cortice fusco tecta. Secundum Strackii observationes colicae saturninae incipientis symptoma certissimum est, si totum corpus colore olivari tingitur. 1) Dolor in extremitatibus migrans, unde persaepe in principio membrorum convulsiones, paralyses et motus spasmodici superveniunt, posthac autem defectus sensibilitatis et mobilitatis partium sequitur, et tabes musculorum inter pollicem et digitum indicem, non minus signa sunt characteristica. 2) Ipsa vero resolutio vis nervorum varii generis est, et modo motum tantum in parte tollit, modo simul sensum, sic

---

1) Sprengel's Semiotik. p. 57.

2) Richter.

tamen, ut is per intervalla cum acutissimis doloribus redeat. Istam vero nunc demum atrophia presso vel lento pede excipit; et nonnunquam quoque febris sive biliosa sive inflammatoria, accedit, tumque aeger purulenta reiiciens, atrophicus plerumque decedit; cum eo tamen, ut permulti ante mortem varii generis passionibus chronicis, hydrope, ictero, aumaurosi, conflictentur.

§. 18.

Curatio. Ut spasmus, praesens dolor et irritamentum removeantur, pro primo antispasmodica sunt indicata. Prae ceteris hic opium magna cum utilitate adhiberi potest. Iam vero si malum vehementius et anxietas ad summum adscenderunt, eodem tempore digestorum vomitus continuus observatur, tum opium cum Mercurio dulci coniunctum, magnäs exerit vires. 1) Pilulae ex resina Ialappae (Pharm. boruss.) quarum drachmae opii tres vel quatuor grana adiiciuntur, secunda quaque hora 5 granorum duorum dantur, in malo pertinacissimo, in quo alumen (alias valde utile) incassum adhibitum erat, magnum effectum praestiterunt. 2) Eodem tempore oleosa et mucilaginosa remedia adhibenda. Quidquid omnino pingue est et oleosum in colica saturnina confert, cum ad praeservationem, tum ad curationem. Propter ea emulsionum ex oleo amygdalarum dulcium, oleo Ricini, oleo lini et cannabis, etiam Gummi arabici usus

---

1) Burger in Horn's neuem Arch. f. med. Erfahrung. Bd. II. Heft 2. p. 335.

2) Gebel in Hufel. Journ. Bd. XVII. St. 3. p. 107.

salutaris est, neque minus clysmata ex his remediis tum fomentationes ventri applicatae et balnea callida frictiones quoque ex linimento ammoniato vel oleo Chamomillae aethereo et aliorum sunt salutaria. Praestantissimum hoc in malo remedium est alumen. Grashuis primus fuit, qui in colica saturnina id adhibendum suaserit. Tum ipsum, si opium et alia remedia sine effectu erant; cum utilitate adhibebatur, quando quidem praecipue dolores vomitumque mitigabat et àlvum aperiebat. Datur in pulvere ad gr. XV. cum Gummi arabico, vel in solutione. Rec. Alum. crud. unc. unam et dim. solve in Aq. font. destillat. unc. VI. syr. alth. dr. VI. M. S. Secunda quaque hora ad dimidiam scutellam.

§. 19.

Species altera. quae fere cum colica saturnina congruit, est colica Pictonum. Uti saturnina, inprimis a plumbo, haec a fermentescentibus rebus copiose ingestis, induci dicitur, et ut Richterus putat, a novi vini acidi et inprimis vini e malis pirisque parati usu solummodo oritur. Tamen suspicatur, fortasse veneficium saturninum eam afferre, quum illud vinum acidum in vasis plumbo inductis vel male laevigatis adservaretur. Cel. Trochin et Strack, medici eruditissimi, hanc speciem ab arthritide et rheumatismo ortam viderunt. 1) Morbus nunc lente, nunc repente hominem occupat, cum vigiliis, animi deliquiis, stranguria, imo adeo ischuria cum perpetuis mingendi

1) Observatio medica de colica Pictonum, maximeque ob arthritidem. Frft. u. Lpzg. 1772.

frustraneis conatibus, vomitu bilioso ac pituitoso acutissimoque ventriculi, intestinorum, lumborum atque inguinum dolore. Venter durissimus est, et plerumque valde contractus, simulque anus, non autem umbilicus, introrsum retrahitur. Dolor autem vel in circumscripto ventris loco consistit, vel ab altero ad alterum transit. Adstrictus venter, nonnisi dura et globosa stercora demittit. In crescente malo in humeris, mammis, totoque pectore aut regione lumbari et natibus aut plantis pedum, dolor persentitur ac si aculeis pungerentur et tum colicus dolor minuitur, posteaque persaepe cum rheumatico alternat. Et ab hoc malum etiam interdum incipit, interdumque adeo inopinata a paralysi, atque dein ad intestina transmigrat. In artuum dolore autem subinde copiosius sudor erumpit et quandoque simul pustulae rubrae ardentes ex toto corpore auspicato efflorescunt. Nonnunquam morbum comitantur convulsiones, spasmus maxillae inferioris, caecitas, sopores ac lethargus cum lethali quidem plerumque eventu. Si vero haec non accedunt, morbus ad plures hebdomades, quin menses trahitur. Idemque recurrit saepe et difficillime admittit sanationem.

§. 20.

Curatio. Medicamina absorbentia, ut Magnesia lapides cancrorum cum radice Rhei utilitate adhibentur, ut materia nociva dissolutione innoxia reddantur. Haec medicamina modo cum antispasmodicis, modo alvum purgantibus coniungi possunt. Interea est indicatio prima (ut supra iam dictum) ut spasmi removeantur, vel certe leniantur, et tum demum absorben-

tia et alvum purgantia dare licet. Purgantia vim exerunt in colica salutarem si cum antispasmodicis coniunguntur, c. v. cum infuso Chamomillae, Valerianae Castoreo vel opio. Itidem ad hunc finem clysmata eccoprotica laudantur. Artuum paralyses debilitatesque, ut etiam alii nervorum morbi nervinis et excitantibus optime sanantur. Contra manuum distorsionem mercurialia secundum Klarkii et Hunteri experientiam efficacia se praestitere. Sin autem materia arthritica in causa est, sola emollientia et demulcentia tum extus, tum intus adiuncto prudenti opii usu adhibere, simulque ad crura valentius epispasticum applicare oportet.

§. 21.

Colica metastica. Huius causa imprimis est exanthematum chronicorum, ulcerum habitualium, haemorrhoidum, rheumatismi, athridisque suppressio, et aliarium materiarum morbificarum metastasis. Etiam a vesicatoriis iteratis et fonticulis diu gestatis posteaque neglectis, inducitur. Ex antecedendentibus morbis et ad partes interiores repercussis, qui praecipue intestina occupaverunt, huius colicae genus optime cognoscitur. Ceterum notandum, hanc ad specierum valde periculosarum numerum pertinere, quum non solum spasmus, sed etiam saepe character inflammatorius adeo enteritis vera, facile ad sphacelum transiens, in ea conspiciatur. Eius curatio iamiam ex aliis supra dictis generibus nota est, et hic solum respiciendum venit, eam pro morbis, quibus ortum debet variam esse, quorum nempe revocatio summae medico curae esse debet.

§. 22.

Praeterea colicae differentiae notatu dignae hac sunt:

a) Colica rheumatica et catharrhalis. Quam omnis refrigeratio corpori praecipue in hominibus ad rheumatismum dispositis inducit. Haec species dolorem sui generis affert, qui puerpurarum doloribus valde similis et cum pertinaci alvi obstructione coniunctus est. 1) Extremitatum paralyses facile relinquit. Interdum febrium intermittentium suppressio causa remota 2) Balnea callida, fomentationes emollientes et huiusmodi clysmata ac remedia solventia, quae exhalationem etiam augent, e. g. Sulph. antim. mercur. dulc., tinct. guaiac. volat. et cet. hanc optime sanant. Sin autem colicae character est inflammatorius, statim confert ab initio tantam sanguinis copiam mittere, quantam necessitas postulat. Quod optime hirudinorum applicatione medicinalium ventri impositorum efficitur. Et ob enteritidem metuendam venae sectio et pro interno usu oleosa sunt indicata.

b) Colica arthritica. A suppressione arthritidis praecipue auctumno et hieme inducitur. Materia arthritica ex extremitatibus repelli, ventriculum seu intestina occupare et tali modo vehementer colicae dolores periculososque potest exitare. Aeger in ea sensum molestum formicationis in fronte et pruritum in larynge sentit 3) Pulsus autem normalis, urina est

1) Selle, medicina clinica. p. 479.
2) Selle. l. c. p. 480.
3) Curt. Sprengel. l. c. p. 168.

mucosa turbidaque, abdominis sensibilitas et eius tensio tanta est, ut aeger se erigere non valeat. Plerumque animus valde affici solet, aeger est tristis, stomachosus, quin etiam res suas desperat. Dummodo articulos simul dolor occupet, seu evacuationes biliosae oboriuntur, haec colica non raro solvitur. 1)

§. 23.

In colica arthritica manuum lotiones et pediluvia irritantia, vesicatoria sinapismi in extremitatibus, frictiones Tr. cantharidum conveniunt: Opii cum mucilaginosis et extracti hyoscyami usus internus, atque externus fomentationum calidarum et balneorum valde salutaris est.

§. 24.

Colica hepatica. Plerumque a calculis vesicae felleae, saepe etiam ab ulceribus hepatis, vel eius induratione inducitur. Si calculi in causa sunt, colica a transitu calculorum ex hepate per ductum hepaticum et choledochum in duodeno excitatur. Pari modo bilis inspissata (e qua calculi postea nascuntur) et hepatis ulcera vel indurationes hoc malum afferunt. Calculi in ductus biliferos se conferunt et saepe magnitudinis et duritiei causa per ductum transire non possunt, et tali modo obstructionem faciunt, ac bilis excretionem impediunt, unde dolores vehementissimi cum anxietate magna et vomituritione et vomitu coniuncti oboriuntur, atque eousque perseverant, dum tandem calculi in intestinum duodenum transgressi sint, quin in vehementi malo inflam-

---

1) C. Sprengel. l. c.

matio, icterus spasmodicus, apoplexia et aliae nervorum affectiones oriuntur,

§. 25.

Signa diagnostica.

Paulo ante morbi exacerbationem aeger in cordis scrobiculo de plenitudinis sensu, ac nausae et vomituritione queritur, etiam pondus in dextro latere iacere putat unde in totum corpus harror se propagat. Dolor inde obortus alte infra hepar, in regione vesicae felleae vel eius ductuum versari videtur. Est pungens, forans, tensivus, torquens, interdum urens. Animi pathemata, et corporis motus lenissimi, sternutatio et tussis, decubitus quoque ad sinistrum latus et corporis erectio semper augent dolorem. Plerumque aegrotus in somnum pronus est, si dolores aliquod tempus perduravere, hic autem dolorum vehementia et anxietate permagna impeditur. Saepe quin adeo semper, aegri icterici fiunt, urina est fusca et turbida et eorum excrementa coloris sunt albi ac argillacei.

§. 26.

De calculorum probabili praesentia.

Plerumque obscura manent eorum symptomata, fortasse autem ex symptomatis sequentibus calculorum praesentia interdum patebit; aeger molestiam et sensum incommodum e corporis versione praecipue capit et inter versionem, massam ponderosam in intimo ventre moveri et quasi cadere persentit. Interdum alternantes dolores obtusi inter ventriculi motum vel axpansionem; et hac ex causa nausea post coenam, interdum etiam dolores vehementes et per-

manentes, ac cnisorregmia vomitusque oboriuntur; etiam saepe plus minusve icteri symptomata mitia vel vehementia, initio forsitan solummodo periodica dolore, vel sine hoc, adsunt. Non raro valetudo totius corporis infracta est, adpetitus ciborum, digestio imminuta, tandem cachexia, hydrops, fluxus sanguinis animadvertuntur, Saepe vesicae felleae intumescentia adest, in qua calculi ut nuces sentiri possunt Vis naturae medicatrix hoc malum optime sanat, dum calculos per ductus in insestina perducat et tali modo e corpore snbmoveat.

§. 27.

Curatio solummado palliativa est. Spasmum naphta, Tr. castorei, hioscyamus et opium utut linimenti volatilis in regione epigastrica inunctiones et fomentationes aromaticae balneaque calida optime sanant. Ad morbum autem radicitus avellendum, resolutio corporum haerentium omni modo tentanda est.

§. 28.

Colica a causis mechanicis et organicis exorta, valde periculosa, siquidem ars in ea nil valet interdum. Est, quae frequenter miserere cum omnibus symptomatis horribilibus inducat. Huic speciei, praeter signa peculiaria, chatacteristica raro inveniuntur et eius nexus causalis saepe difficillime cognoscitur Sin autem in principio una abdominis pars exigua dolet, simul autem valde est dolorosa, etiam ut saepenumero obstructio praesto est, a causis localibus et mechanicis v. c. prunorum armeniacorum et cerasorum lapidibus ac acubus, ossibus, magnis piscium

spinis probabiliter excitatur. Prae ceteris causis herniae novae incarceratae sunt accusandae.

Etiam, si iam colica chronica et habitualis est, ac aliae causae absunt, quae dolores colicos inducere solent et remedia alias utilia incassum plane sunt adhibita, paene definire possumus, eam a causis organicis effectum esse. Ad has causas concretiones pertinent intestinorum et coarctationes, eorum volvuli et callositates nec non tumores, quibus intestina premuntur, neque minus scirrhi molaque, inprimis ligamenta regenerata, quae a morbis antecedentibus, ut Dysuria et enteritide inducta, hanc colicam proferunt.

§. 29.

Amolitione quam celerrima localis impedimenti et mechanici opus est, ne miserere et ileus terribilis consequantur. Herniae incarceratae reponendae et lege artis tractandae sunt. Contra alias deformitates organicas saepe nihil agendum, sed solummodo medicamina mucilaginosa et enemata emollientia, atque sub certis conditionibus opium et balnea calida adhibere possumus, ut tali modo levamina nonnulla adferantur. Internus cicutae, digitalis, belladonae, hyoscyami, aquae laurocerasi, calomelanos et antimonii usus laudatur. Etiam unguenti hydrargiri et linimenti volatilis inunctiones, herbarum narcoticarum fomentationes salutares sunt.

§. 30.

Colica infantilis. Hac specie infantes nupernati primo vel altero mense subinde cruciantur. Modo ab acidis, modo a corrupto meconio, modo refrigeriis, inprimis abdominis, modo ab erroribus in diaeta, a

matribus commissis, modo nimis pingui lacte et vetusto inducitur, et partim gastrica, partim pituitosa, partim flatulenta atque biliosa est. Infantes interdiu noctuque aut noctu saltem, lamentabiles clamores continuo fere edunt, pervigiles, corpusculum saepe contrahunt, nec tactum ferre possunt, nec commode lac sugere. Incumbunt libenter abdomini, mox autem cum clamore repentino cohorescunt, et inter mammae suctum papillam repente dimittunt. Si vero erecti mammae admoventur, sugunt, nec papillam dimittunt, usque ad satietatem 1), cuius vero rei ratio mihi non patet. Emissae faeces plerumque viridicant et lac maternum minus bene concoctum in multis grumis caseosis pituitae viridescenti admixtum conspicitur. Si colica flatulenta, plerumque borborgymus vehemens observatur, multi flatus emittuntur, et si flatus retinentur, intumescentia sub costis spuriis oritur. 2)

§. 31.

Curatio tam diversa, quam huius colicae effectrix varia est, tum evacuationibus et anodynis, tum roborantibus externis aliquamdiu succurendum. Initio enemata antispasmodica ex infusionibus Chamomillae, Valerianae, foliorum aurantii saturatis praecipue conveniunt. Si spasmi vehementes et convulsiones adsunt, etiam enemata ex asa foetida in vitello ovorum soluta, praescribenda sunt, neque minus castoreum, spiritus cornu cervi, moschus adhiberi potest. Saepe

1) Rosen v. Rosenstein's Kinderkrankheiten. p. 51.
2) Richter l. c. p. 188.

his remediis adhibitis dolores temporis momento sedunt. Abdominis inunctiones cum medicamentis volatilibus e. g. oleo chamomillae et hyosciami cum opio valde salutares sunt; pro interno usu parvae saepeque repetitae doses aquae Cinnamomi et menthae cum aethereis parva copia, adeo tincturae opii gtt. nonnullae porrigi possunt. Si acrimonia in causa est, remedia absorbentia praescribuntur; v. g. magnesiae albae gr. X vel XII cum flor. Zinci gr. II. Si colica flatulenta est, ita abdomen ut in tympanite inflatum est, ibi cel. Richter potionem laudat ex magnesia cnm aqua menthae vel faeniculi, etiam pulverem ex magnesia cum flavedine corticum aurantiorum, sem. foeniculi et $^1/_{16}$ — $^1/_8$ gr. croci. Refrigeria antimonii parvis dosibus et linteis calefactis ventri impositis et balneis calidis optime sanantur.

CURRICULUM VITAE
EX DECRETO
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE
BEROLINENSIS
ADIECTUM.

Ego, Guilelmus Antonius Marmet A. 1794. a. d. 2. Mens. Octobr. patre optimo, Bernardo Marmet, matre Maria Kocks, Sendenhorstii Guestphalorum natus sum. Ab anno 1809. in Gymnasio Paulino, quod Monasterii floret, usque ad annum 1814. ducibus non satis colendis,

Professoribus Koenig, Grauert, Rath litteris, quae in ordinibus inferioribus tractantur, incubui. Bello A. 1815. exorto arma capessivi contra usurpatorem. A. 1816 armis compositis in album Universitatis Monasteriensis a. d. XV. M. Januarii relatus, ducibus Clar. Professoribus Laymann, Schlüter, Roling, Bodde, Siebenbergen, Sentrup, studiis matheseos altioris, psychologiae, logices, styli germanici, physices, chemiae, encyclopaediae doctrinae medicae, anatomiae operam dedi. Annis sequentibus lectiones Clar. Virorum: Bodde de materia medica, de arte formulas concinnandi, de toxicologia atque de chemia, Sentrup de anatomia, Siebenbergen de physiologia, de Druffel de pathologia et therapia generali et speciali, Haindorff de chirurgia et arte obstetricia frequentavi. Dissecandis quoque cadaveribus in theatro anatomico duce Wegehausen prosectore operam dedi. Mense Aprili Berolinum petii, ubi a. d. 1. Mensis Maii a Rectore t. t. Magnifico Cel. Weiss in numerum civium academicorum receptus, lectionibus Cel. Link de botanice, Ill. Rudolphi de encyclopaedia et anatomia comparata, nec minus Clar. Kluge de fracturis et luxationibus deque arte obstetricia tam theoretica quam practica, et Ill. Berends interpretationibus librorum Celsi, quo par est studio, interfui, unaque policlinicum Ill. Hufeland, clinicum medicum Ill. Berends et clinica chirurgica ophtalmiatrica Ill. Graefe et Cel. Rust frequentavi. Quo peracto studiorum medicorum cursu, et tentamine medico coram Decano spectabili examineque rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite absolutis, spero fore, ut post hancce dissertationem publice defensam summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I. Nulla sunt certa graviditatis signa.

II. Si vulnera amputationen indicant, aut brevi post vulnus, aut post febris a vulnere inductae secessum, illa institui debet, non vero durante febre.

III. Lithontriptica vesicae immissa aut intus sumta ratione chemica parum ad calculi solutionem conferre censeo.

IV. Usum internum arsenici, nisi morbus omnino pertinax sit, vitandum esse puto.

V. Sine studio medicinae clinicae nemo medicus.

VI. Synchondrotomia ex arte obstetricia omnino reiicienda.

VII. Erysipelas, quod in suppurationem abit, non est morbus primarius.